



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

III. Conformatio voluntatis in priore malorum genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



80 BONA VOLUNTAS

malia, multò minùs in homines, nisi Dei permissu. Alterum calamitatum genus est ab hominum mala voluntate, seu nostrâ, seu alienâ: ejusmodi sunt, bella ex consiliis Achitophelis, calumniâ à senibus Sufannæ insidiantibus, lites à mendaci meretricula filium contubernalis suffurata, incendia segetum ab Absalonis emissariis, cædes fratrum ab Abimelecho, aliâque ejusmodi quotidiana.

III.  
*Conformatio  
voluntatis in  
priori malo-  
rum genere.*

In priore malorum genere difficile non est, suam cum divina conformare voluntatem. Cùm enim ibi nîl videamus, nisi Dei providētiam, non dubitamus quin à bono bonum profluxerit, etsi ratio nobis sit ignota: occurritq; tunc nobis idem, quod Augustino: *Quidquid accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere nisi de voluntate Dei, de Providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius: & si nos non intelligimus quid, quare fiat, demus hoc ipsius Providentia, quia non fit sine causâ.* Explicat hoc Dorotheus familiari similitudine. Nactus fuisti amicum verum, sincer-



sincerum, non curiæ, ut aiunt, sed cordis, Jonathan alterum, à quo tibi mali nihil unquam, boni plurimum accidit. Is fortè tibi incommodum aliquod in speciem postmodùm creat: an ideò excandescas, obmurmures, inclames, peccatum esse contra amicitiae leges? Nonne potius sic tecum disputes: notus mihi est amici mei animus experientiâ diuturnâ, & certâ: constat mihi, id ab ipso malum profectum non esse malâ mente: est in speciem incommodum, at certè ex ipsius benevolentia, non dubito, quin commodum meum spectârit. Ecquemnam Christo amicum meliorem, constantiorem, bonorum suorum liberaliorem largitorem invenias? Postquam te donavit temetipso, & simul tot naturæ ac gratiæ bonis, aliquid corpori tuo aut animo affert incommodi. Conquerarisne? Irascaris? Mentem tristitiâ torqueas? Animum despondeas? Fiduciam amittas? Cavesis: inò dic cum D. Polycarpo, quando ad imprecationes adversus Christum provocabatur: Octoginta sex annis ipsi servivi, &



## 82 BONA VOLUNTAS

nihil mihi mali fecit, & ego ipsi maledicam? Ita omninò est, nihil unquam nobis mali fecit optimus parens: aut si quid mali intulit, ad bonum retulit, adeoque bonum fuit.

IV. *Expenditur à Chryso-  
stomo.* Luculentissimè hæc ratiocinatio tractatur à Chryso-  
stomo, libris tribus de Providentiâ, ad Stagiri-  
um inscriptis. Nobili loco natus, abdicata re familiari, & spe dignitatum, in domum religiosam se abdiderat: sed ibi elanguescente sensim studio pietatis, non sat religiosè vixerat. Pœnas negligentiae commeritus, repente Dei permisso à Dæmone insidetur, cum officium divinum publicè persolventibus adesset. Simul invisus hospes domicilium corporis invasit, & funestæ nigrarum cogitationum catervæ animum occupavêre. Redibat in mentem præteriti temporis recordatio: torquebat futurorum præcogitatio: gravis erat conspectus familiarium: obversabatur animo mœror parentum, si quâ ad ipsos rumor de eventu tam tristi perveniret: aliorum lætitia triste  
pectus: